

mat ille, quod Nicolaus I. loco citato illud approbat Baptisma, quod a viro religione Judæo fuerit collatum. . . . Falsum est Gregorium II. approbat se baptisma a Pagano collatum: quin potius ipsum aperte reprobavit. Miror ego talia ausum perpetuum in cathedra S. Thomæ moralis Theologiæ Professore: cum in ipsam D. Thomam verius quam in me recidat, quod mihi falsi crimen impingit. Is etenim 3. part. quest. 67. art. 5. Judæos, atque Gentiles perinde posse valide baptizare (modo Ecclesiæ formam seruent) evincit ac probat ex illis ipsis Nicolai & Gregorii Decretis seu Rescriptis. Per Ecclesiam, inquit, determinatum est, quod non baptizati, sive sunt Judæi, sive Pagani, possunt Sacramentum Baptismi conferre, dummodo in forma Ecclesiæ baptizent. Unde Nicolaus Papa respondet, de Consecratione, dist. 4. ad consulti Bulgavorum lib. 3. „ A quodam Judæo, „ nescitis, utrum Christiano, an Pagano, multos in „ patria vestra asseritis baptizatos; & quid inde sit „ agendum consultiis. Hi profecto si in nomine SS. „ Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent. „ Si autem forma Ecclesiæ non fuerit observata, Sacramentum Baptismi non conferitur. Et sic intelligendum est quod Gregorius II. scribit, Bonifacio Episcopo: „ Quos a Paganis baptizatos esse „ asseruisti, scilicet Ecclesiæ forma non servata, ut „ de novo baptizet in nomine Trinitatis mandamus.

Unde vero habes Professor eximie, non approbasse Nicolaum I. Baptisma a viro religione Judæo collatum: Eumdemque de viro duntaxat genere & ortu Judæo fuisse locutum, qui ad Christianam religionem conversus esset? Constat id inquis, ex hisce Rescripti verbis, a quodam Judæo, nescitis utrum Christiano, an Pagano. Falleris. Nec enim id vel leviter ostendunt verba hæc: sed illud solum, nescisse Bulgavos, an qui tam multos in ipsorum patria baptizaverat, Judæus esset, an Christianus, an etiam Paganus. Quod & D. Thomæ, & mihi, ad causam quam defendimus, abunde sufficit. Cum enim Baptisma, a quacumque, seu Judæo seu Christiano seu Pagano collatum esset, validum pronunciaverit Nicolaus, illudque veterit iterari, modo in forma Ecclesiæ collatum esset; illud certo relinquitur, probasse Nicolaum I. baptisma etiam a viro religione Judæo, imo & a Pagano collatum.

Unde etiam habes Vir eximie, non approbasse Gregorium Baptisma a Pagano collatum; quin potius aperte reprobasse? Quia, inquis, a Pagano baptizatos mandavit de novo baptizari. Falleris & hic multo turpius. Imo dum Gregorius rescripserit Bonifacio Moguntino Episcopo: Quos a Paganis baptizatos esse asseruisti, scilicet Ecclesiæ forma non servata, ut de novo baptizet in nomine Trinitatis, mandamus, eosque idcirco de novo jussit baptizari, quod non esset in eis servata baptismatis forma; consequens omnino est, Gregorium illos & contrario de novo baptizari noluisse, vereque baptizatos judicasse, si fuissent in forma legitima baptizati. Atque adeo in ea illum fuisse sententiam, posse Paganos absolute valide baptizare. Quod unum ex Gregorii II. rescripto intulit D. Thomas, intulimus & nos, in adducta modo probatione Systematis Catharini.

De reliquo tepida est, atque festiva, quæ a te huic nostro Argumento assuitur distinctiuncula, ut vim ejus omni ex parte declines. Non posse scilicet, inquis, Judæum atque Paganum ritus illos exercere, ut Sacros, & Sacramentales & Sacros; posse tamen illos exercere, uti Sacros & Sacramentales nobis, Ecclesiæque Catholicæ; si eos tales nobis & Ecclesiæ esse cogaoverint. Age enim, id absolute & summe possint, quis dixerit

eos velle, & revera facere, aut etiam moraliter posse, qui Ecclesiam nostram habent uti profanam? Illique ipsi Pontifices, qui ritus aliquos nostros ab illis exercitos probantur aliquando, E. G. collata Baptisma, nusquam inquirere, num illos uti nobis & Ecclesiæ nostræ sacros interna mente exercuerint. Quod illi quæsturi erant, si ritus illos, uti nobis & Ecclesiæ nostræ sacramentales & sacros, interna intentione exercendos censuissent, ut rati & validi haberentur. Sed pergamus ad reliquas probationes, ex Ecclesiæ praxi, & usu petitas.

VI. Certe num esset irritum Calvinistarum Baptisma, in Galliis dubitatum est olim, nonnullis in Neustria, & Provincia irritum opinantibus, quia, ut aiebant, non habent Calvinistæ intentionem baptizandi, in remissionem peccatorum. Re ad examen vocata, in Concilio Provinciali Rothomageni anno 1581., & Aquisani anno 1586. Calvinistarum Baptisma ratum, validumque judicatum est. Cujus quidem judicii hanc rationem unicam dederunt Præsules Galliarum: Quia constat Calvinistas in cœtu publico baptizare, in forma verborum, & materia a Christo instituta: nec de hoc facto ambigi poterat: uti ferunt laudatorum Conciliorum Acta. Satis igitur esse significavit Præsules illi, si ritus integer peragatur prudenter, ac serio, ut in publico Ecclesiæ cœtu fieri solet; eaque idcirco intentio adhibetur, quæ joco opponatur, & ludo: nec de altera secretiori impiorum Ministrorum intentione quæsierunt, an ab illis adhibetur, nec ne.

Equidem non inficior ego, Calvinianos eam quoque interiorem intentionem adhibere; eosque velle prorsus intimo corde hunc ritum, uti sacramentalem: at de hoc ipso, tanquam ad valorem Baptismatis necessariam, minime quæsierunt Galliarum Episcopi; satis superque fore arbitrati, si prudenter, ac serio peragatur ritus externus. Neque obest, quod mihi non ita pridem insurrexerat Juvenis ornatissimus ad Calvinianorum Baptisma tanquam irritum rejiciendum: Unusquisque, ajebat ille, ut opinatur, & sentit, ita & agit: at Calviniani vulgo opinantur ac sentiunt, non necessariam, in conferendo Baptismo, intentionem faciendam quod facit Ecclesia: igitur verisimilimum est, eos illam nequaquam adhibere: atque ita illorum Baptisma verisimiliter nullum est. Non inquam id obest: Quia tamen Calviniani eam intentionem necessariam non existiment, ut Baptisma valide ministraret; eam tamen necessariam existimant, ut decenter, pie ac religiose conferatur. Quare moraliter certi sumus, eorum Baptisma validum esse, utpote cum ea intentione ministratum, quam illi ad piam religiosamque administrationem, reputant necessariam.

VII. Dicit colophonem apponet nostræ hujus ætatis factum horrendum, quod ante annos circiter 80. Massiliæ contigit. Perditus Sacerdos; Parochialis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ab aquis fluentibus (vulgo les acoules,) Pastor, seu verus lupus inventus est, magicis artibus deditus, pactoque execrando diabolo obligatus; qui per annos admodum 20. quibus Parochiam rexit, serio quidem oblatos sibi parvulos baptizabat, totumque ritum externum serio peragebat; secretiori nihilominus intentione, totum quod agebat exterius, retractabat, infansque, quos lustrabat, diabolo devovebat. Extremis vitæ metis admotus impius Pastor Ludovicus Gausfredus, (hoc illi nomen erat) peccatum factus est publice, factique pœnituit, atque ita e vivis excescit. Vix dici queat, quod inde nati scrupuli, quot conscientiæ morsus, in iis maxime, qui a nefario Ministro tincti fuerant; quorum & ego aliquos novi. De

ite-

iterando Baptismo plurimi cogitabant. Quid tandem? Sententiam rogati Doctores Sorbonici, quid factu esset opus, pronunciarunt nihil esse iterandum, stetit Baptisma rata, validaque; hoc-cicque faciendam impii Ministri declarationem, qui post perados serio sacros ritus, postea nihil se conficere voluisse, puerosque diabolo devovisse dicitabat. Id enim in ejus potestate non erat, pueros diabolo devovere, effectumque Sacramenti impedire, administrato serio, ac libere Sacramento.

Secundum D. Thomæ mentem Doctores Sorbonici pronunciarunt, in 4. Sententiarum dist. 6. Quest. 1. Art. 2. Quæstionula 2. Sacramentum autem Baptismi est, quo mediante acquiritur effectus Baptismi in anima baptizati: unde tunc est recta intentio, quando baptizans seu baptizatus Sacramentum ordinat ad effectum Sacramenti, qui est salus. Si ergo intentio adsit in baptizante, quia intendit Sacramentum conferre, sed desit restituendo quia ordinat Sacramentum ad finem inaddebitum, non propter hoc in recipiente impeditur perceptio Sacramenti, quia ad hoc fertur intentio baptizantis; neque effectus Sacramenti; quia mandatio interior a Ministro non est: unde ejus intentio (prava scilicet, & occulta) ad hoc nihil facit, ad irritandum scilicet Sacramentum.

Idem secutus aliquot annis Doctores Sorbonici pronunciarunt, occasione Petri Lavardini Genomanensis Episcopi; qui pariter morti proximus denuntiaverat, nullum se sacris Ordinibus, occulta secretaque mente, initiare voluisse, tamen si sacros de more ritus serio peregerit, adeo ut nullus perverfam ejus intentionem occultam deprehendere potuisset. Et has tamen ordinationes ratas, validasque Doctores Sorbonici pronunciarunt.

De quibus lege Jacobum Santobovium in solutionibus Casuum Conscientiæ Tom. 2. Casu 17. ubi & hoc alterum memorie prodidit. Cum paucos ante annos Ecclesiæ Parochialis S. Egidii sacrilegus Curio, Christiana religionis tandem factus apostata publice factus esset, toto se pastoralis officii tempore, baptisma serio quidem, prudenterque ministrasse; intus tamen, secretaque mente, totum quod forinsecus ageret, retractasse: in eo tamen iterare Baptisma quotquot ab eo fidei, ac simulate tincti fuerant, consulta, ut credere par est, Academia Parisiensis: unaque omnium inventa est illustris fœmina; quæ, ut est sexus ille infirmus, ac debilis animo, baptizari secundo voluit, obtinuitque pro imperio: ceteri omnes susceptum; Baptisma ratum, validumque tenuerunt.

Quid ad hæc æmali obreclatores, qui Catharini Sententiam tanto fastidio despiciunt? Facta enim hæc, lataque de illis Sorbonæ judicia in dubium verti nequeunt, futsque in Galliis nostris lippis & tonforibus nota.

VIII. Is exemplis ne victus superatusque videatur Domesticus Impugnator, tria subtimide frigideque reponit. I. Ecclesiam Genomanensis Episcopi ordinationes, & Parochi Massiliensis Baptisma iterari quidem, quasi nulla fuerint, non justisse; sed & illa etiam, quasi rata fuerint, iterari non tenuisse. 2. Sacramenta illa fuisse a Doctores Sorbonici rata ac valida pronunciata, quia æstimatum est, a Ministris fuisse collata, qui eorum duntaxat effectus, gratiæ scilicet collationem, & characteris impressionem simpliciter nolent; non qui Sacramenta ipsa, ut Sacramenta sunt, perficere occulta secretaque mente retractarent. 3. Quia Ministris illis nullam se perficiendi Sacramenti intentionem internam habuisse declarantibus, nulla est data fides: quemadmodum

viro in Matrimonio juncto nulla daretur fides, qui post initum in facie Ecclesiæ cum fœmina minus grata conjugium, a qua postmodum vellet abscedere, publice affirmaret, se absque intentione interna consensum in matrimonio præbuisse.

Ad populam phaleras illas, non ad Theologos, maxime Gallos, quales esse gloriamur. In primis enim ex quo Ecclesiæ Præsules Sacramentum, de cujus nullitate mora lis erat, causa cognita atque discussa non iterant, ratum validumque judicasse censentur; quin ultra necesse sit decretum aliquod edi, quo illud idem iterari decreverit. Quod in allatis casibus contigisse norunt Galli Theologi omnes, maxime vero Genomanenses, & Massilienses.

Insuper ex Responso Jacobi Santobovii, qui una cum aliis Doctores Sorbonici in consultationem adhibitus fuerat, perfectum est, questionem tunc de Episcopo motam fuisse, qui non modo nullam intentionem habuerat administrandi Sacramenti Ordinis, dum ritum ab Ecclesiæ præscriptum exercuerat; imo qui factus erat, nullam se intentionem habuisse suscipiendi Ordinis Episcopalis, dum ipsemet fuerat inauguratus Episcopus. Quare duplex tunc quæstio movebatur: prior quidem, num fuisset ille valide ordinatus Episcopus: altera, num fuissent alii ab eo subinde valide ordinati presbyteri: quod utroque casu interna secretaque defuisset intentio Sacramenti per se & absolute perficiendi.

Eccur tandem, rogo te Professor eximie, Episcopo Genomanensi, & Parocho Massiliensi, nullam se perficiendorum Sacramentorum intentionem internam habuisse, in mortis articulo declarantibus, fides nulla data fuisset; cum quæ in mortis vicinia confessio sit præteritarum culparum, nonnisi sincera; ingenta, candida esse possit? Nec est simile quod affert exemplum viri Matrimonio juncti, cui nulla datur fides, si consensum ad Matrimonium sibi defuisse declarat publice. Is enim ad sui commodum protestatur, ut hoc pacto ab ingrata uxore possit abscedere. Nemo autem in judicio pro se suisque commodis testis accipitur. Qui vero extremis vitæ metis admotus, Sacramenta sacrilege, fallaciter, fraudulenter ministrasse declarat, is certe contra se ipsum, atque ad sui dedecus & infamiam attestatur. Unumquamque autem contra se ipsum, & ad sui accusationem, testem audiri & accipi, jura clamant.

CAPUT VII.

Hæc eadem sententia Doctoris Angelici suffragio, Romanorumque Pontificum iudiciis confirmatur; alia domesticis impugnatoris suffragia præcluduntur.

I. Tamen nunquam sese D. Thomæ juratum Discipulum prebuerit Catharinus; (quam ob causam haud ita bene audit in Thomisticis Scholis) in hoc tamen quod expendimus, propugnando systemate, ita Sanctissimo Præceptorum adhaesit intime, ut mirari mihi fubeat, vel unum de Schola Thomistica in contrariam sententiam abiisse.

Solum externi ritus serio peragendi intentionem abunde sufficere, ut ratum sit, ac validum Sacramentum, palam adstruit D. Thomas 3. part. Quest. 64. Art. 8. ubi de intentione Ministri ex initu-ro disputat in hæc verba: Quando aliquid se habet ad multa, oportet quod per aliquid determinetur ad unum, si illud effici debeat. Ea vero que in Sacramentis aguntur, possunt diversimode agi, sicut ablutio aque, que fit in Baptismo, potest ordinari & ad

Et ad munditiam corporalem, Et ad sanitatem corporalem, Et ad ludum, Et ad multa alia huiusmodi: Et ideo oportet quod determinetur ad unum, id est, ad sacramentalem effectum, per intentionem abluentis. Et hec intentio exprimitur per verba, quae in Sacramento dicuntur. Eam igitur intentionem sufficientem existimat Doctor Angelicus, quae verbis ipsis exprimitur; non alteram postulat interioriorem, & occultioiorem, quae quandoque sacrorum verborum expressioni repugnat.

II. At haec levia, graviora sunt quae sequuntur. Pergit Doctor Angelicus: cum enim in argumento secundo difficultatem sibi obiecit, quo pacto si Ministri intentio necessaria est, securitas nobis inesse poterit de suscepto valide Sacramento, omnique scrupulo amovebitur; cum dubitari semper possit, num Minister veram habuerit perficiendi Sacramenti voluntatem: quid reponit ad haec D. Thomas? An forte quod reponere coguntur adversa sententiae vindices: nos scilicet de secreta etiam intentione Ministri moraliter esse certos; quia ex feria tractatione Sacramenti, quam videmus, praesumendum est, Ministrum Ecclesiae recte pro officio se gerere, internamque intentionem adhibere? Minime gentium; sed Catharini Systema palam tueretur Doctor Angelicus. Ita quippe respondet ad 2. Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cuius est Minister. In verbis autem, quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimat ex parte Ministri, vel Recipientis Sacramentum. Intentio igitur Ecclesiae, Ministri verbis expressa, sufficit ad perfectionem Sacramenti; nec ei quidquam officii occulta mentis intentio contraria, nisi signo aliquo contrario exprimat, iuxta Doctorem Angelicum.

III. Scio esse Aliquos, qui cum nebulas ipsis solis radiis offundere malint, quam apertissimae veritatis faeces submittere, ea D. Thomae lucidissima verba cavillantur. Reponunt scilicet, sententiam Doctorem Angelicum, intentionem Ecclesiae, verbis sacramentalibus expressam sufficere, non quidem ad perfectionem Sacramenti simpliciter, sed ad securitatem suscipientis: quatenus illa intentionis expressio, moraliter certus est homo Sacramentum suscipiens, intentionem quoque interioriorem Ministrorum adesse. Vah ludicrum interpretamentum, contextui e diametro repugnans! Sufficit, inquit Doctor Angelicus, ad perfectionem Sacramenti; sediti vero interpretes, non sufficit, inquit, ad perfectionem Sacramenti, sed ad securitatem suscipientis; textumque prorsus adulterant.

Verum nihil apertius, ad absonum interpretamentum exfufflandum, mentemque Doctoris Angelici ab omni cavillatione vindicandam occurrit, quam quod habet ille in 4. Sentent. dist. 6. Quaest. 1. Art. 2. Quaestio 1. ad 2., ubi cum eandem sibi objectionem fecisset obviam, eodem prorsus responso diluit; sed lucidioribus verbis, quae nullo possunt glossate declinari. In Baptismo, inquit, Et in aliis Sacramentis, quae habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis, per verba ab Ecclesia instituta. Et ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. Non igitur de securitate suscipientis tantum, sed de Valore Baptismi disputat D. Thomas. Tantumque abest, ut mentalem intentionem, hoc est, secretam illam, occultamque exigat, & de illa suscipientem securum esse dicat, dum expressionem intentionis exterius apprehendit, uti novi interpretes obtundunt; quin potius mentali illa intentione ablegata, solam in-

tionis expressionem, quae feria formae prolatione continetur, necessariam existimat, ut stet validum Sacramentum.

Unde Quaestio supra laudata tertiae Partis Art. 10. exponens quondam intentionis perverfitate fiat irritum Sacramentum, ita pronunciat: Cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed devotioe aliquid agere, Et talis perverfitas tollit veritatem Sacramenti, praecipue quando suam intentionem exterius manifestat. Intentio ergo, qua perficitur Sacramentum, illa est, quae in feria sacri ritus administratione importatur, eique nusquam officit maligna Ministri voluntas, sacro ritui contraria, si occulta mente tegatur, nec manifestetur exterius. Quo capite Catharini sententia sita est.

Nec audiendus Joannes Baptista Gonetus, qui ex hoc ipso Doctoris Angelici verbo, praecipue quando suam intentionem exterius manifestat, argumentum petit in oppositum; inquit, si tunc praecipue tollitur Sacramenti veritas, quando Minister contrariam intentionem exterius manifestat; igitur & tunc etiam, etsi minus praecipue, tollitur veritas Sacramenti, dum contrariam intentionem exterius minime manifestat: non inquam audiendus. Ex aliis quippe locis supra laudatis compertum est, Tò praecipue sumi illic absolute, non comparate; ut significetur tunc tantum veritatem tolli Sacramenti, dum contraria manifestatur intentio.

Cum enim loco paulo ante laudato ex lib. 4. Sententiarum dist. 6. absolute dicatur, stare ratum ac validum Sacramentum, modo contraria Sacramenti minime perficiendi intentio non exprimitur exterius; consequens profecto est, stare semper ratum ac validum Sacramentum; illiusque veritatem nusquam, ac ne minus quidem principaliter tolli, quando irritandi Sacramenti intentio later occulta. Atque ita absolute, non comparate tantum loquitur hic Doctor Angelicus, nisi sit sibi palam aperteque contrarius. Hanc porro loquendi formulam, qua vox praecipue non comparate, sed absolute sumitur, non esse Doctorem Angelico prorsus insolitam, melius ceteris novit Gonetus ipse; quippe qui obiectis sibi D. Thomae Testimoniis exagitat aliquando, ac male pressus, quae totam ea in voce praecipue vim faciunt; hoc uno se responso exfolvit: absolute loqui Doctorem Angelicum non adversative, quod est comparate. Quod illi in expediendis moram, & gratiae quaestioibus quandoque contingit.

Ita nostri plerique nodum illum extricant. Ego vero illam Gonetii cavillationem, quae hac una voce praecipue ludit incautos, brevi observatione eludi posse crediderim multo facilius. Perverfam scilicet Ministri intentionem duobus modis externe manifestari; primo quidem, aperta patentique Sacramenti derisione; ut si jocando ludendoque baptizet minister impius atque sacrilegus, histrionis in modum: secundo, irreligiosa duntaxat, atque indebita rei sacrae tractatione; ut si Minister volens ac sciens quidpiam omittat eorum, aut forte tractet indigne, quae Ecclesia facillat baptizando; unde possit dubium aliquod de perverfa illius voluntate in adstantium animis suboriri. Qua posita distinctione, responderi posse crediderim; Doctorem Angelicum loco laudato recte sapienterque dixisse, veritatem Sacramenti praecipue tolli, si Ministri intentionis perverfitas priori modo manifestetur exterius; (unde ait, si Minister intendat derisive aliquid agere) ut vel sic oblique significet, tolli quoque, etsi minus praecipue, veritatem Sacramenti, si altero forte modo minusque patentis voluntatis perverfitas innotescat. Numquam tamen tollatur haec veritas,

ritas, si nullo omnino modo ea fiat perverfitas manifesta, sed tota intus in corde & animo delitescat.

Ad plenioris illius distinctionis absolute non comparate dilucidationem animadvertendum est, terminos omnes significantes aliquid excessum, si de aliquo dicantur absque comparatione ad alterum, censeri absolute dici, & tunc unum alteri non praferre, ut si dicam: praecipua est mihi cura de Petro, Petrum nemini praefero. At si huiusmodi termini de aliquo dicantur, facta ad alterum comparatione, censentur comparate dici, & tunc unum alteri praefertur, ut si dicam: Ex duobus filiis meis Petro & Paulo, praecipua est mihi cura de Petro, Petrum praefero Paulo. Similiter si dicam absolute: Gonetus est doctissimus Theologus, verum dicam, & Gonetum nemini distinde praeferam. At si dicerem: Gonetus est Theologorum doctissimus, falsum dicerem, quia sic Gonetum omnibus Theologis anteponebam, cum quibus eum compararem.

IV. Aliam eludendae D. Thomae auctoritatis viam inicit domesticus Impugnator, qui post quaestias varias distinctionum ambages, quibus priora a nobis adducta SS. Doctoris testimonia elidere conatus est; ubi ad istud tandem venit, quod est inter omnia disertissimum, ex lib. 4. Sentent. dist. 6. quaest. 1. art. 2. quaestio 1. ad 2. variorumque Theologorum interpretamenta rejicit, quae illius palato non sapiunt, uti nec nostro, eo demum devenit ut dicat: Respondeo satendo verbis illis contineri doctrinam de externa intentionis sufficientia; sed nego quod S. Thomas solutionem illam adhibuerit tanquam suam; hanc quippe non ut suam, sed ut probabilem duntaxat aliorum responsonem attulit.

Annon quae istud est, nodum disrumpere, non solvere? Quamquam enim ad argumenti sibi propositi solutionem id dicat Sanctissimus Doctor, secundum aliquorum ea de re Theologorum opinionem asserendo; perspectum tamen est eum in secundam illam opinionem descendere, eamque ut veriore & meliorem amplecti. Liquet id duplici ex capite: 1. Quia nisi eam secundam sententiam, ut veriore amplecteretur, suamque faceret, nullam propositae sibi objectioni solutionem suam daret, insolutumque relinqueret argumentum: cum opinio fer sententia prior, inter respondendum relata, rejecta tandem ab eo sit, ac repudiata. 2. Quia eandem illam quaestioem tractans secutus inde temporibus, 3. parte summe Theologicae quaest. 64. art. 8. eandemque sibi secundo loco objectionem proponens, cui pariter ex duabus Theologorum sententiis, in quarto sententiarum libro relatis, respondet atque satisfacit, primam rejectit aperte, secundam amplectitur ut meliorem, suamque facit. Fingentum igitur est inter omnia maximum, D. Thomam obiectae sibi difficultati ex propria mente propriaque sententia non respondisse, laudato libri 4. loco, sed ex aliena duntaxat: cum hanc ipsam aliorum sententiam amplexus sit, feceritque suam.

Diets nihilofecius inhsit fervidus actor: ut que momentum hoc nostrum, ex duorum Divi Thomae locorum collatione petium eludat, respondet; falsum esse quod S. Thomas idem sibi argumentum proponens, Et in Summa Et in Sententiarum, hic iterum in Summa sua adhibeat, eandemque doctrinam tradat utroque in loco.

Quid itaque rei sit videamus, & summae Theologicae contextum cum Sententiarum contextu conferamus. Libro itaque 4. sententiarum dist. 6. quaest. 1. art. 2. titulus sic inscribitur. Utrum intentio baptizantis ad Baptismum requiratur? Obiectio 2. sic habet: Intentio hominis non est alicui certa ni-

si sibi. Si ergo requiratur intentio ad Baptismum, non erit certum de aliquo, quod sit baptizatus, nisi apud eum, qui baptizavit: Et hoc est inconveniens, quod homo sit in tanto dubio salutis. Responso ad hanc secundam objectionem sic effertur: Ad 2. dicendum, quod ad hoc dupliciter secundum diversas opiniones respondetur. Quidam enim dicunt, quod si desit mentalis intentio in baptizante, non confert Sacramentum Baptismi: tamen in adulto supplet fides, Et devotio effectum Baptismi, ut periculum ex hoc baptizato, qui ignorat intentionem baptizantis, nullum proveniat. Si autem sit puer, creditur pie, quod summus Sacerdos, scilicet Deus, defectum suppleat, Et salutem ei conferat: Si tamen non facit, non injuste facit, sicut nec in illo, qui Sacramento non subicitur. Alii dicunt quod in Baptismo, Et in aliis Sacramentis, quae habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis, per verba ab Ecclesia instituta. Et ideo si forma servatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est. Non enim sine causa in Sacramentis necessitatis, scilicet Baptismo, Et quibusdam aliis, actus baptizantis tam sollicite expressus est, ad intentionis expressionem.

In Summa vero Theologica 3. parte quaest. 64. art. 8. titulus sic inscribitur, Utrum intentio Ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti? Obiectio 2. sic habet: Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio Ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti, non posset homini ad Sacramentum accedenti esse notum, quod Sacramentum suscepisset; Et ita non posset habere certitudinem salutis, praecipue cum quaedam Sacramenta sint de necessitate salutis, ut infra dicitur. Responso ad secundam hanc objectionem sic effertur, Ad secundum dicendum, quod circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in Ministro, quae si desit, non perficitur Sacramentum: sed hunc defectum in pueris (qui non habent intentionem accedenti ad Sacramentum) supplet Christus, qui interiori baptizat; in adultis autem, qui intendunt Sacramentum suscipere, supplet illum defectum fides, Et devotio: sed hoc satis posset dici, quantum ad ultimum effectum, qui est justificatio a peccatis; sed quantum ad effectum, qui est res, Et Sacramentum, scilicet quantum ad characterem, non videtur; quod per devotionem accedentis posse suppleri: quia character nunquam imprimitur nisi per Sacramentum. Et ideo alii melius dicunt, quod Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiae, cuius est Minister. In verbis autem, quae profert, exprimitur intentio Ecclesiae, quae sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exterius exprimat, ex parte Ministri, vel recipientis Sacramentum. Jam quis non videat, binas illas opiniones, secundum quas propositae objectioni responderetur, eandem omnino utrobique esse: secundam autem a Doctore Angelico uti meliorem aperte distincteque probari in Summa, quae simpliciter proposita fuerat in Sententiis?

In scirpo itaque nodum quaerit vir paulo subtilior, qui ut aliquod eas inter opiniones utrobique propositas discrimen ostendat, observat, in Sententiarum libro non de omnibus Sacramentis agi, sed de illis duntaxat, quae habent in forma actum exercitum; cum contra in Summa Theologica de omnibus indiscriminatim Sacramentis agatur. Pape, quam acuta quam subtilis observatio! Ecquor quae Sacramenta sunt, quae non habent in forma actum exercitum, seu quorum in forma actus ministrantis non exprimitur? Unum duntaxat Eucharistiae Sacramentum: in cate-

cæterorum quippe omnium formis, ministrantis actus expressus est. Si itaque Theologis ita opinantibus fidem damus, solo excepto Eucharistice Sacramento, non requiritur in Sacramento mentalis intentio, sed sufficit expressio intentionis per verba ab Ecclesia instituta. Quod Catharini adversarii jugum petit. Sed & alio ex capite futilis est observatio illa. Quia dum dicunt Theologi illi, non requiri mentalem intentionem in Baptismo, & in aliis Sacramentis, que habent in forma actum exercitum; ad alterius Sacramenti, quod actum exercitum in forma non habet, exclusionem non loquuntur; sed in quibus id præ cæteris accidit, specialiter notant; in quibus scilicet id potiori titulo potiorique ratione contingit, quod alias absolute contingit in omnibus.

Futilior multo est altera observatio, dum ostendere nititur. D. Thomam opinionem secundum loco notatam in 4. Sententiarum libro, non adoptasse, nec fecisse suam; „ quia alias sibi ipsi „ contrarius dicendus foret, quippe qui in hac ipsa „ quæstionum, & alibi sæpe Ministri intentionem necessariam docet; cum hic e contrario „ sola intentionis expressio sufficere dicatur. In „ super omnia Sacramenta, proindeque Sacramentorum formas, non ab Apollolis, sed „ immediate a Christo instituta fuisse discrete docet, dist. 2. quæst. 1. art. 4. Cum hic Sacramentorum formæ, seu verba, in quibus illorum stat forma, ab Ecclesia instituta dicantur.

Equis enim non ista brevi verbo conciliet? intentionem necessariam exponens, non occulta secretaque mente conceptam, sed formæ verbis expressam: formatque Sacramentorum a Christo ipso secundum substantiam institutas intelligens; etsi secundum modum & ordinem ab Ecclesia instituta non incongrue dici possint. Maxime cum celeberrimorum Theologorum sententia sit, Christum D. quorundam Sacramentorum materias & formas in genere duntaxat instituisse, earumque determinationem in specie, Apollolis & Ecclesie reliquisse. Sed ad alias sententiæ nostræ probationes accedamus.

V. Succedit hoc in genere probationum generale principium a D. Thoma positum in 4. Sent. dist. 5. Quæst. 2. Art. 2. Quæstionum 1. ex quo necessaria consecratione colligitur, eum pro certo tenuisse, internam illam, secretam, ac pure mentalem Ministrorum intentionem, non esse ad Sacramenti valorem necessariam. Contendit enim eo loci, ea que sunt de substantia Sacramenti, seu que necessaria sunt, ut Sacramentum quantum ad substantiam ratum sit, validumque, certa omnino esse debere suscipientibus, iidemque omnino nota: imo ea maxime ratione probat, prohibitam Ministrorum, ad Sacramenti efficaciam, non esse necessariam, quod hæc non omnino sit certa, sed quandoque fidelibus ignorata, Sacramenta suscipientibus. Dicendum, inquit, quod in Sacramentis est aliquid, quod est de substantia Sacramenti, & aliquid, quod est de convenientia Sacramenti, & solemnitate. Si ergo subtraheretur aliquid, quod est de substantia Sacramenti, non erit verum Sacramentum: si autem subtraheretur aliquid eorum, que requiruntur ad solemnitatem, vel convenientiam Sacramenti, propter hoc non desinit esse Sacramentum. Unde cum bonitas Ministri non sit de substantia Sacramenti, quia non omnino certa est, sed quandoque ignorata; ea autem, que sunt de substantia Sacramenti oportet esse certa, patet quod subtrahita bonitate Ministri, adhuc est Sacramentum, dummodo alia, que sunt de Sacramenti substantia observentur. Quidni ergo colligamus, ad mente Doctoris Angelici, internam, secre-

tam, ac mente abditam Ministrorum intentionem non esse ad ratum, validumque Sacramentum necessariam? Quandoquidem & illa omnino certa non est, sed, quæ quandoque, imo sæpissime ignorata; nec magis ad suscipientibus constat, quam probitas Ministrorum: cum de utraque non nisi moralem ut ut maxime certitudinem possimus habere.

Num hoc generale D. Thomæ principium, que sunt de substantia Sacramenti oportet esse omnino certa, fat sibi constet, communicare Theologorum sententiæ congruat, qui moralem certitudinem sufficere ponunt, hoc loco nec querimus, nec expendimus; qui de sola nunc Doctoris Sanctissimi mente, atque sententia, qualis illa sit, disputamus, Illud tamen non omiserim observare, D. Augustinum hoc idem doctrinæ principium posuisse, adversus Donatistas disputantem, Lib. 1. contra Litteras Petiliani Cap. 3. Qua de re plenius loco suo.

VI. Sequitur momentum alterum longe gravius, quod efficacissimæ demonstrationis loco haberi debet. Non minor, imo major in adultis Sacramenta suscipientibus intentio requiritur recipiendi, quam in Ministris intentio faciendi quod facit Ecclesia. Unde Doctor Angelicus 3. parte, Quæst. 68. Art. 7. ad 2. discrete pronunciat, quod si in adulto deest intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus; quasi Baptisma omni ex parte nullum suscipisset. Et Innocentius III. R. P. Cap. Majores, extra de Baptismo, & ejus effectibus: Ille qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti. Quamquam enim ad Sacramentum, ut simpliciter actio est, passive tantum se habeat homo suscipiens; ad illud tamen, ut Sacramentum est, etiam active se habet, volens scilicet, scienter suscipiendum. Idque adeo verum est, ut illi ipsi hæretici, qui necessariam in Ministro intentionem negant, eam tamen in adulto suscipiente necessariam fateantur.

Jam inquo ego, D. Thomæ explicatissima sententia est, sufficere in adulto suscipiente Sacramentum, intentionem externi ritus ferio suscipiendi, ut Baptisma, quoad characteris impressionem, validum sit; tamen intus secreta mente repugnet ille, minimeque consentiat. Ita ille in 4. Sent. dist. 6. Quæst. 1. Art. 2. Quæstionum 3. Ubi postquam præmississet, coactionem alicui illatam ad suscipiendum Sacramentum, talem ac tantam esse posse, ut principium suscipiendi totaliter sit ab externa; ut dum aliquis reclamans, atque reluctans immergitur violentur; quo casu Sacramentum ita coacte susceptum nullum esse concedit; quia ea susceptio libera non est, contrariaque suscipientis intentio, seu repugnantia, ac reluctatio palam proditur: subjungit tamen Sanctissimus Doctor, ad institutum nostrum: Si autem sit coactio inducens, sicut minis, vel flagellis, ista quod baptizatus eligat potius Baptisma suscipere, quam talia pati, tunc suscipit Sacramentum, sed non rem Sacramenti: seu gratiam sanctificantem, propter contrariam intentionem, ac repugnantiam in corde latentem. Quod aliis verbis dixerat paulo ante: Sciendum quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesia confert; sed sufficit voluntas conditionata, sicut est in voluntatis mixtis. Satis igitur est, iudice Doctore Angelico, si Sacramentum ferio forinsecus recipiatur, ut sit ratum, validumque, quoad characteris impressionem; tamen si secretior, & occulta recipiendi deit intentio, imo contraria non recipiendi voluntas animo delitescat. Quanto itaque magis id satis erit, ut valide conferatur? Minor quippe, ac certior non

non major in conferente, quam in adulto suscipiente desideratur intentio.

VII. Neque vero privata est illa D. Thomæ sententia. Ita Pontifices Summi, ita Concilia sæpenumero pronuntiaverunt. Sic Hadrianus I. R. P. Epist. 8., que extat Tomo II. Conciliorum Gallicæ, Saxones suppliciorum metu ad Baptisma adactos, Sacramentum vere suscepisse decernit, etsi foris tantum, (Pontificis verba sunt) non intus consentiant: quia videlicet ritum externum ferio forinsecus acceperant, ut interminatam supplicium effugerent, tamen intus Baptismi susceptioni reluctati essent. Sic etiam Innocentius III. R. P. Capite Majores; extra de Baptismo: Is qui terroribus, atque suppliciis violentur abstrahitur, & ne detrimentum capiat, Baptismi suscipit Sacramentum; talis, (sicut & is, qui sine ad Baptisma accessit,) Characterem suscipit Christianitatis impressionem; & ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ. Sic demum Concilium Toletanum IV. cap. 57. Sesebuti Principis factum improbat quidem, qui Judæos ad Baptisma suscipiendum metu suppliciorum adegerat, vetatque ne quid hujusmodi in posterum attentetur, propter periculum subversionis: subjungit tamen, illos, qui ita metu suppliciorum adacti, Baptisma ferio forinsecus mente susceperant, ad Christianæ Religionis observantiam adigendos esse; quia jam constat, (Concilio Toletani verba sunt) eos esse Sacramentis Divinis associatos, & Baptismi gratiam, percipisse. (a) Quibus omnibus perspicuum fit, non modo in foro externo, & ex juris præsumptione, hujusmodi Baptismata valida fuisse iudicata, ut ad Christianæ Religionis observantiam obligari possent Judæi, si sic animo baptizati; verum etiam in foro interiori, atque ex rei veritate, rata fuisse, validaque; cum Judæos illos characteris impressionem accepisset Innocentius III., & Concilium Toletanum IV. verbis conceptissimis defini-verint.

Atque hinc obiter videas, quam sit futile quod domesticus Impugnator reponit, ne iis exemplis vitius superatque videatur: viros scilicet illos metu suppliciorum ad baptismum suscipiendum adactos, internam habuisse suscipiendi Baptismatis intentionem, non quidem ante intentatâ minas; sed postea saltem, dum re ipsa sunt baptizati: Ecclesiam eorum Baptisma validum judicasse; quia de internæ intentionis defectu non constabat. Id inquam futile. Cum enim in foro tantum, non intus consensisse dicantur; necesse est ut suam illam repugnantem voluntatem internam, post intentatâ etiam minas, ac in ipsa Baptismatis susceptione tenuerint. Rursus, cum conditionaliter volentes ad Baptisma accessisse dicantur, licet absolute nolent; necesse est, ut tunc absolute baptizari noluerint, dum conditionaliter volebant: conditionaliter porro duntaxat volere post intentatâ minas, & in ipsa Baptismatis susceptione; (quandoquidem ante minas intentatâ nulla omnino ratione volebant) igitur & tunc quoque repugnantem tenere suscipiendo Baptismati voluntatem: internam utique, de qua hic unice disputamus. Neque refert ad infirmam, quam inde petimus nostræ sententiæ probationem, quod Ecclesia de hujusmodi intentionis internæ defectu, qui Judæis illis esse dicebatur, certa non esset: cum ea Baptismata rata validaque judicaverit, eo quoque supposito intentionis internæ defectu. Id ergo certum indubitatumque, Ecclesiam præcisè illis temporibus baptismata rata validaque censuisse, quæ repugnantem internam voluntate, suscipiente.

Serry Tom. VI.

cepta essent, modo externa suscipiendi voluntas atque consensus accessisset.

VIII. Id ipsum non ita pridem experti sumus anno 1683. in ea scilicet solempni clade, qua Turcæ Viennam Austria obsidentes, mirabili Dei iudicio percussi sunt. Factum refert Illustrissimus Præsul Franciscus Genettus Episcopus Vafionensis Tractatu de Baptismo Tom. III. pag. 324. Scilicet cum Turca quidam, Orbanus nomine, mortem undequaque obversantem effugens, inter mortuorum acervum aliquandiu vivus delitisset, ac tum superveniente nocte, militis Poloni vestibus indutus, in Christianorum exercitum irrepisset ignotus, a milite christiano, nescio quo, lingua errore detectus est; qui eidem cruentam mortem intentavit, ni subito Christianam Religionem profiteretur, ac Sacrum Baptisma susciperet. Assensit Orbanus, externæ tamen, ac forinsecus, ut mortem sibi intentatam effugeret; nulloque pacto intendens animo, Mahumericam sectam deserere; atque ita a Christiano milite baptizatus est. Re postmodum in iudicium vocata, valeret ne Baptisma hoc pacto susceptum; valere illud, quantum ad Characteris impressionem, pronunciatum est: quia consensum externum dederat, etsi metu mortis expressum; nulloque externo signo contrariam prodiderat intentionem.

Idem alio casu experti sumus, quem idem ille Vafionensis Episcopus retulit pag. 342. Hebræi scilicet alicujus matrimonio juncti, qui ut uxori suæ ad Christianam Religionem conversæ complaceret, moremque gereret, Baptisma fidei suscepit; externum scilicet ritum libenti, prompto, gratoque in speciem suscepit animo; intus tamen secretaque mente nolebat accipere, imo cordis intimo repudiabat, nolebatque re ipsa Christianus fieri. Qui tamen Baptismus: ratus, validusque, quoad Characteris impressionem, iudicatus est. Adeo scilicet verum est, satis esse, ea que facit Ecclesia, ferio extrinsecus adhibere, atque recipere, ut rata sint, ac valida Sacramenta: quo casu nulla vel Ministri, vel recipientis occulta intentione contraria irritantur.

IX. Atque hinc internoscere facile est, quid sibi velit Doctor Angelicus 3. parte Quæst. 68. Art. 7. dum sinceram, & minime simulatam in suscipiente desiderat intentionem, ut ratum sit, ac validum Sacramentum. Et dum in 4. Sent. Dist. 27. Quæst. 1. Art. 2. Quæstionum 4. ait: Si aliquis absolutionem exteriori reciperet, non intendens accipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus. Perspicuum quippe est, id eum desiderare, ut præcipuum Sacramenti effectus obtineatur, justificatio scilicet suscipientis; non ut sit validum Sacramentum secundum se se, & quoad Characteris impressionem. Aut certe si de Sacramenti absoluta validitate eum agere velit aliquis; de simulata intentione intelligendus erit, quæ prodatur exterius, ut Art. 8. qu. 64. declaravit. Alias secum ipse pugnabit Doctor Angelicus.

CAPUT VIII.

D. Augustinus Catharini sententiæ reformator, atque assertor ostenditur: falsa domesticus impugnatoris interpretatio resellitur.

I. Ocasione celeberrimæ controversiæ, quam de fide in Sacramentorum ministris necessaria, adversus Ecclesiam moverant Donatistæ, varia sibi permixte, atque confuse proponit dubia Sanctissimus Doctor Lib. 7. de Baptismo con-

M

tra

tra Donatistas cap. 53. ab hisce verbis initium faciens disputandi: *Soles etiam queri, utrum approbandum sit Baptisma, quod ab eo, qui non accipit, accipitur, si forte hoc curioſitate aliqua didicit quemadmodum dandum sit: & utrum nihil interſit, quo animo accipiat ille, cui datur, cum ſimulatione, an ſine ſimulatione: ſi cum ſimulatione, utrum fallens, ſicut in Eccleſia, vel in ea, que putatur Eccleſia; an jocans, ſicut in mimo: & quid ſit ſceleratus, in Eccleſia fallaciter accipere; an in heresi, vel ſchiſmate ſine fallacia, id eſt, animo non ſimulato; & utrum in heresi fallaciter, an in mimo cum fide, ſi quiſquam inter agendum repentita moveatur pietate? Quamquam talem ſi etiam illi conſecramus, qui in ipſa Catholica Eccleſia fallaciter accipit, mirum ſi dubitatur quis, cui preferendus ſit?*

Et tot illis confuſe permixteque propoſitis dubiis, unum eſt, quod agitatam hactenus quaestionem contingit de proximo; imo quod illam inſimile refert, verbis ſono quidem aliquanto diverſis, eundem tamen apud æquos æſtimatores ſenſum habentibus. Quid enim aliud eſt querere, *Utrum probandum ſit Baptisma, quod cum fallacia, & ſimulatione datur, aut forte recipitur; quam illud ipſum querere, quod hactenus diſputavimus; ſit ne ratum, validumque Baptisma, quod ſerio, omnique ſeroto joco forinſecus datur, recipiturve, intus tamen occulta, ſecretaque mente rejicitur, aut negatur? quandoquidem in iſta facti ſpecie, ſimulatione, atque fallacia in eo maxime poſita eſt, ut quod externe ſit; ſerio, libere, atque prudenter, intus in animo, clam atque ſecreto retractetur.*

Porro tamenſi D. Auguſtinus tot illa ſibi propoſita dubia non tam ſolvat, quam poſteris ſolvenda relinquat: quodque de Baptismo mimice, & joculariter collato, aut etiam forte ſuſcepto, motum eſt dubium, ab Œcumenica Synodo ſolum tiri peroptet, novaque revelatione clareſcere: duo tamen de eo, quod noſtra nunc intereſt, propoſito dubio diſputando ponit, ſtatuitque indubitanter, ac certo; quæ Sanctiſſimus Doctorem Catharini ſententiam, ac noſtram præformaffe, ac docuiſſe, palam, aperteque demonſtrant.

Primo. *Præteritis Majorum ſtatutis, non dubito, inquit Auguſtinus, etiam illos habere Baptisma, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt; vel ubi putatur eſſe Eccleſia ab eis, in quorum ſocietate id accipitur, de quibus dictum eſt; Ex nobis exterius: hoc eſt, apud hæreticos, vel ſchiſmaticos. Ex quo profecto conſequens eſt, iudice Auguſtino Majorum etiam ſuorum ſtatutis edocto, ſtare ratum, validumque Baptisma, ſeu in Eccleſia, ſeu extra Eccleſiam fallaciter, & cum ſimulatione ſuſcipiatur. Quid vero illud eſt, Baptisma fallaciter, & cum ſimulatione ſuſcipere, niſi ritum illum, quem facit Eccleſia, in ſe, & ſupra ſe exterius fieri velle, ſeriotque recipere; intus vero corde, & animo abnuere, recuſare?*

Secundo. Obſervat paulo ante Sanctiſſimus Doctor, tales cum ea fallacia, & ſimulatione baptizatos, ſi eorum tandem prodatur ſimulatione, atque fallacia, excommunicatione quidem in Eccleſia puniri, aut per poenitentiam ſanari, a nemine tamen rebaptizari: quod ſignificat illis verbis obſervatione digniſſimis, *ſi poſtea ſimulatione prodatur nemo repetit, ſed aut excommunicando punitur illa ſimulatione, aut poenitendo ſanatur. Quod etiam lib. 1. cap. 12. obſervaverat: In illo, inquit, qui factus acceſſerat, ut non demum baptizetur, ſed ipſa pia correptione, & veraci conſeſſione purgetur, quod non poſſet ſine Baptismo, ut quod ante datum eſt, tunc valere incipiat ad ſalutem, cum illa fictio veraci conſeſſione ceſſaverit. Ex quibus & illud confe-*

quens eſt, Baptisma cum fallacia, & ſimulatione ſuſceptum (ſeu ſerio forinſecus acceptatum, intus tamen corde, & animo recuſatum) ratum, validumque fuiſſe ab Eccleſia iudicatum; etiam ubi ſimulatione, atque fallacia detecta erat. Alias nil dubitandum, quin ſi vel levis de illius Baptismatis nullitate ſuſpicio fuiſſet, Eccleſia Catholica fallaces illos, ſimulatoſque rebaptizaret. Imo & illud ſequitur ultimum: Baptisma ſide ſimulateque ſuſceptum, quoad Characteris impreſſionem, quod hic maxime queritur, valuiſſe; cum ſublata fictione, nullaque illius facta iteratione, ad ſalutem valere inceperit.

II. Aberrant vero turpiter nonnulli, qui ut Auguſtinum Catharino, & nobis eripiant, ſumma fiducia reſpondent: Doctorem Sanctiſſimum, nomine Baptismi cum fallacia, & ſimulatione ſuſcepti, non eum intellexiſſe, qui ſerio prudenterque externe, foriſque ſuſcipitur, intus tamen corde, & animo recuſatur; atque adeo non illum ratum, validumque cenſuiſſe: ſed eum intellexiſſe duntaxat, qui licet interna ſimul, atque externa intentione ſuſcipiatur, ſine fide tamen, debitiſque diſpoſitionibus, ſeu cum conſcientia peccati mortalis plerumque recipitur. quem hodie viri de Schola Baptismi ſcilicet, ſeu cum fictione ſuſceptum de more vocitant: fictione ſcilicet diſpoſitionum, non fictione Sacramenti: quem idcirco ratum, validumque cenſuerit Sanctiſſimus Doctor, uti & in præſentia Theologi cenſent univerſis.

Aberrant illi, inquam. Auguſtinum enim id nominis, quo ſenſu diximus hactenus, uſurpaſſe duo evincunt apertiffime. Primo, quod non ſemel ibidem affirmet, poſſe Sacramentum Baptismatis in heresi, vel ſchiſmate dari vel ſuſcipi, ſine ſimulatione, atque fallacia, ut ex recitato paulo ante contextu liquet. Quis autem ſibi finxit unquam, in heresi, vel ſchiſmate dari, vel ſuſcipi poſſe Baptisma, cum fide, debitiſque diſpoſitionibus? Non ergo ſimulatione, atque fallacia, de qua diſputat Auguſtinus, fide defectus eſt, bonarumque diſpoſitionum, ſeu conſcientia peccati mortalis. Secundo, quod aſſerat identidem Auguſtinus in Eccleſia putari, atque adeo falſa, reperiri perinde poſſe veraces, atque fallaces Baptismatis dutores, & receptores. Non itaque fallacium nomine, infideles, maleque diſpoſitos intelligit; uti nec nomine veracium, ſideles, beneque diſpoſitos denotat: cum fideles, ac bene diſpoſitos in falſa Eccleſia dari impoſſibile ſit.

III. Fallitur & noſter domeſticus adverſarius, qui de bonis malive recipientium diſpoſitionibus ſilens, Auguſtinum nomine fallaciter ſimulateque recipientis aut dantis eum putat intellexiſſe, qui Sacramentum tradit aut recipit abſque fide aliqua de illius veritate aut utilitate: quam tamen fidem eo ipſo exterius ſimulat, quo Sacramentum ſponte ſerioque ſuſcipit. Auguſtinus enim fallaces hujusmodi ac ſimulatos dutores & ſuſceptores in vera etiam Eccleſia eſſe ſupponit, dum quaſtiones haſ movet: *Quid ſit ſceleratus, in Eccleſia fallaciter accipere; an in heresi vel ſchiſmate, ſine fallacia? . . . utrum nihil interſit, quo animo accipiat ille, cui datur; cum ſimulatione aut ſine ſimulatione: ſi cum ſimulatione; utrum fallens, ſicut in Eccleſia, vel in ea, que putatur Eccleſia? . . . Utrum hoc magis Baptisma ſit acceptandum, cum & tradens & accipiens fallaciter agunt, in ipſa unitate Catholica, an illud, quod in mimo datur? Porro in Eccleſia nullus eſt aut poſſet eſſe, qui fidem de Sacramenti veritate & utilitate non habeat; cum vel hoc ipſo Eccleſia fidem habere definiret, ejuſque ſocietatem amitteret: non itaque de hujusmodi fallacibus & ſimulatis dotoribus & ſuſceptoribus loquitur D. Auguſtinus, qui*

qui fidem de ſacramenti veritate & utilitate non habent.

Equas vero rimas querit ille ut elabatur, vimque argumenti hujus effugiat? Audiamus: *Quamvis nemo ſit niſi per fidem integram verum Eccleſia membrum, poſſet tamen qui fide caret reperiri in Eccleſia, ſeu in ipſo fidelium cœtu, ibique baptisma vel conferre, vel recipere: ad id namque ſatis eſt, ut qui recipit, fidem ſimulet; qui vero miniſtrat, nondum ſit a communione cœtuque fidelium, ut hæreticus, ſegregatus. Scilicet, ſi recte intelligo, homo ſine fide in Eccleſia eſſe poſſet, de Eccleſia ſeu membrum Eccleſia eſſe non poſſet.*

Atqui, ſubſumo ego, de fallacibus & ſimulatis dotoribus & receptoribus loquitur Auguſtinus, qui non modo in Eccleſia ſint cœtuque fidelium, ſed & qui ſint de Eccleſia, ſeu qui fidem Eccleſia teneant: cum de iis diſtincte loquitur, qui ſunt in ipſa unitate Catholica: (*Tradens & accipiens fallaciter agunt in ipſa unitate Catholica*) quo nomine Catholicam ubique paſſim intelligit Auguſtinus, a qua habet Eccleſia quod ſit una: Non itaque de iis agit, qui fidem de Sacramenti veritate & utilitate non habent.

IV. Turpius longe multo falluntur, ac etiam peccant, qui ut Auguſtinum non modo Catharino, ac nobis eripiant, ſed & Luthero, atque Calvino per ſummam peritiam tradant, perſeſtate ponunt: Doctorem Sanctiſſimum, nomine Baptismi cum fallacia, & ſimulatione dati, aut forte ſuſcepti, eum intellexiſſe, qui ſine ulla proſus intentione faciendi quod facit Eccleſia, tam interna, quam externa datur, aut forte ſuſcipitur: eumque Baptisma hujusmodi ratum, validumque idcirco dixiſſe errando, quod nihil tunc temporis ea de re definiſſet Eccleſia. Vah temerario, atque audaces Auguſtini reprehendoſores! quos Cardinalis Noriſius pro meritis exagitat, in *Vindictis Auguſtiniſis* Cap. 4. Parag. 7. Certe ſi ſic eſt, ut iniqui cenſores eſſentur, non modo in ſupino errore fuiſſe convincitur Auguſtinus, ſed & rota retro Majorum traditio, totaque illius ævi aberravit Eccleſia. Quandoquidem quod illic de Baptismo fallaciter, & ſimulate ſuſcepto pronunciat D. Pater, ex præteritis Majorum ſtatutis indubitanter accipiſſe, ac didiciſſe proficitur: illumque Baptisma fallaciter, & ſimulate ſuſceptum, ubi ſemel prodita eſt ſimulatione, atque fallacia, a nemine unquam in Eccleſia iteratum, ac repetitum fuiſſe, conſtat.

His ergo præcluſis effugiis, probatum relinquatur, Auguſtinum Catharini ſyſtema de externa, ut vocant, in Sacramentis adminiſtrandis, ac recipiendis intentione, præformaffe, ac docuiſſe.

V. Idem ex generalibus Auguſtinianæ Doctrinæ principiis aperte colligitur, quibus ſcilicet D. Patens Donatitas, Miniſtrorum fidem, ad Sacramentum efficaciam, poſtulantem conſultavit, ac viciat. Lib. etenim 1. contra *Literas Petilianæ Donatiſtæ*, principiis loco ponit, ac ſapius inculcat: *Iniquam, & maculoſam baptizantis conſcientiam, ſecretam licet, & occultam, baptizato nocere nequaquam poſſe, & Sacramentum effectu ſuo vacuare: & Petilianum Donatitam, quod aliter vulgata apud ſuos Epuloſa docuiſſet, exagitat multis modis. Cum enim dixiſſet Donatiſta, Conſcientiam dantis baptisma attenditur, qui abluat accipientis: ſic in eum inſurgit Auguſtinus cap. 1. Quid ſi lateat dantis conſcientia, & forteſſe maculoſa ſit, quomodo poterit accipientis ablueri conſcientiam, ſi, quemadmodum dicit, conſcientia dantis attenditur, qui abluat accipientis? Si enim dixerit, ad accipientem non pertinere quidquid mali la-*

Sorry Tom. VI.

uerit in conſcientia dantis, ad hoc forteſſe valebit illa ignorantia, ut de conſcientia baptizantis ſui non poſſit neſciens maculari. Sufficiat ergo, ut alterius conſcientia maculoſa, cum ignoratur, non maculet: Namquid autem etiam ablueri poſſet?

Pergit Sanctiſſimus Doctor, poſitumque principium (*iniquam ſcilicet, & maculoſam baptizantis conſcientiam baptizato nocere non poſſe, & Baptisma effectu ſuo vacuare*) probat, atque confirmat Cap. 3. hac maxime ratione: quia ſi ex recta baptizantis conſcientia penderet Baptismatis efficaciam, baptizatorum ſalus ſemper eſſet incerta, illorumque ſpes ponenda eſſet in homine, videlicet baptizante. *Quomodo, inquit, de iſtis Baptizatoribus ſecuri erunt, ſi conſcientia dantis attenditur, que lateat oculis accepti? Ita ſecundum eorum ſententiam ſi ſalus illa, ſpiritualis incerta, dum contra Scripturas Sanctas, que dicunt, bonum eſt conſidere in Domino, quam conſidere in homine: & maledictus omnis, qui ſpem ſuam ponit in homine; ſpem baptizandorum auferunt a Domino Deo, & in homine ponendam eſſe perſuadent. Unde ſit omnino, ut non incerta, ſed proſus nulla ſit ſalus: quia Dominus eſt ſalus, & vana ſalus hominis. Itaque quiſquis in homine ſpem poſuerit, etiam quem juſtum, & innocentem novit, maledictus eſt.*

Quid plura? Dictis ſemper inſiſtens Sanctiſſimus Doctor, altera ratione evincit Cap. 5. efficaciam, vimque Baptismatis a bona, malive baptizantis conſcientia pendere non poſſe; quia non conſcientia baptizantis juſtificat baptizatum, ſed Chriſti juſtitia; nec ſpiritualis regenerationis auctor eſt homo quicumque fidelis, & ſanctus; ſed Chriſtus ſolus, qui unus eſt origo, & radix, & caput baptizatorum. *Neque enim, inquit ille, etiam cum per Sanctum, & fidelium diſpenſationem gratia ſpiritualis credentibus imperitur, diſpenſator ipſe juſtificat, ac non ille unus, de quo dictum eſt, quod juſtificat impium? Aut vero Apoſtoloſus Paulus caput eſt, & origo eorum, quos plantaverat; aut Apollo radix eſt eorum, quos rigaverat; & non ille, qui eis in credendo fidem dederat: cum idem dicat: Ego plantavi, Apollo rigavit, ſed Deus incrementum dedit: itaque neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Nec radix eorum erat ipſe, ſed potius ille, qui ait, Ego ſum vitis, vos eſtis ſarmenta? . . . Origo mea Chriſtus eſt, radix mea Chriſtus eſt, caput meum Chriſtus eſt. . . . Me innocentem non facit niſi qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram. Non enim in Miniſtrum, per quem baptizor, credo; ſed in eum, qui juſtificat impium. Cap. 7. libri laudati.*

VI. Sic ſane Auguſtinus nerveſe proſus, invide, & eleganter in Donatitas, ut Baptismatis efficaciam ex ſecreta, & occulta baptizantis conſcientia, fide nimirum, ſanctitate, ac religione minime pendere demonſtraret: de iis quippe Miniſtrorum dotoribus, eſſent ne ad Sacramentorum efficaciam neceſſaria, quaſtio illis erat. At quidni quoque totam illam Divi Auguſtiniſtinationem, (ſi principia ipſa quibus innititur, accurate perpendimus) ad quaſtionem, que nobis in manibus eſt, dirimendam trahamus; ut alteram ex altera finiamus?

1. Si enim ex fide, & ſanctitate baptizantis, vis & efficaciam Baptismi pendere nequit, iudice Auguſtino, quod ex occulta, ſecretaque illius conſcientia pendere non poſſit: quid quaſto ex interna illa, menteque abſculta, de qua nunc agimus, intentione pendebit; qua occultate perinde, ſecretaque conſcientia morus eſt?

2. Si ex fide, & ſanctitate baptizantis, vis

& efficacia Baptismi pendere nequit, quia vel sic Baptizatorum salus semper esset incerta; (quod magnam Doctore Sanctissimo incommodum visum est) illorumque spes ponenda esset in homine, fidei nimirum, & sancto: quid quæso ab interna illa, menteque abdita, de qua quærimus, intentione pendebit efficacia Baptismi? cum & sic baptizatorum salus perinde esset incerta, quibus nihil magis explorata est mentalis intentio, quam fides, & sanctitas baptizantium: spesque perinde ponenda esset in homine, intinam illam, secretamque intentionem habente, ac forte mentiente.

3. Si ex fide, & sanctitate baptizantis, vis & efficacia Baptismi pendere nequit, quia non conscientia baptizantis justificat baptizatum, sed Christi iustitia; nec spiritualis regenerationis auctor est homo quicumque baptizans etiam fidelis, & sanctus; sed Christus solus, qui baptizatorum omnium & origo, & radix, & caput est: quid quæso ex interna illa, & mente abdita intentione baptizantis pendebit; cum nec ea baptizantis intentio hominem baptizatum justificet, sed Christi iustitia; nec spiritualis regenerationis auctor sit homo quicumque, interna licet, occultaque intentione ductus, ac motus, sed Christus solus, qui nostrum omnium & origo, & radix, & caput est?

Quidquid ad hæc Catharini oppugnatores reposuerint, ut ab iis se argumentis expediant, reponat pariter Donatista, ut totam illam Augustini argumentationem, & ratiocinationem elidant.

VII. Experimento id videas probetque magis in Domestico impugnatore nostro, qui nihil quidquam reposuit, ut tria illa argumenta elideret, aliquodve inter internam intentionem, & fidem sanctitatemque discrimen afferret, quod Donatista perinde non exsisteret, aut ad sui contra D. Augustinum defensionem arripiant.

Respondet liquidem primo, Conscientiam cuiusque hominis, sanctitatem nimirum & fidem, usque adeo esse occultam, ut de illius rectitudine aut pravitate nulla possit esse moralis certitudo: intentionem autem internam de Sacramento vere concieniendo aut suscipiendo, ex seria liberaque illius administratione aut susceptione externa fieri nobis moraliter certam.

At quidni utrumque pari libertate negarint Donatista, omniaque ex æquo procedere dicant? cum externa perinde fidei & sanctitatis indicia, in insignibus Hypocritis videamus frequentissime, quibus virorum prudentum ac Præfulum perspicacia illudunt; & quæ jaclantur internæ intentionis signa conspicua sæpe fallant: atque utinam non ita sæpe.

Respondet secundo, in hypothesi Donatistarum, spem salutis in homine positam iri, quia rectam hominis conscientiam, non ad Sacramenti confessionem, sed ad Sacramenti jam confecti efficaciam exigebant: cum contra in hypothesi Theologorum internam Ministri intentionem postulanti, ad hominis ministrantis intentio necessaria dicatur, ea ipsam Sacramenti confessionem, ex ipsa Christi institutione.

Ut quid quæso non reposuerint Donatista, fuisse discrimen hoc esse, quantum attinet ad spem in homine collocandam? Quovis enim pacto Sacramentum, quo salus obtinetur a Deo, ab homine pendere dicatur, seu ut valide conficiatur, seu ut confectum suam habeat efficaciam, spes perinde ponenda erit in homine; illic quidem suam illam internam intentionem adhibente; isthic vero fidem & sanctitatem afferente.

Ubi vero replicat Adversarius, spem salutis in

homine internam intentionem adhibente non esse reponendam, quia id præstat ille ut instrumentum ad hoc ipsum a Christo Domino institutum: Quidni etiam Donatista acris instent, ex divina quoque Sacramentorum institutione factum esse, ut confecti jam Sacramenti efficacia ex Ministri conscientia pendeat?

Respondet ad tertium Argumentum vir eximius loco primo: Momentum illud tertium, si quid evinceret, plusquam oporteat probaturum; a quam scilicet verbaque Evangelica non esse ad verum Baptismum necessaria; cum Christi iustitia, quæ sola justificat impium, tam illa duo videatur excludere, quam occultam secretamque intentionem.

Ad quod perinde reponit Donatista, plusquam oportet probaturum hoc Argumentum, quo eos urgebat Augustinus; dum ex fide & sanctitate baptizantis, vim & efficaciam Baptismi pendere non posse contendebat; quia non conscientia baptizantis justificat impium, sed Christi iustitia.

Respondet secundo loco, Christi iustitiam, Christumque ipsam nostræ justificationis causam esse principem: atque ita nihil obesse quominus ab interna Ministri intentione pendeat etiam salus nostra; quia ab ea nonnisi ut a causa ministeriali pendere censetur; quam causa princeps nequam excludit: obesse tamen ne a Ministri fide ac sanctitate salus hominis pendeat; quia efficacia Sacramenti jam confecti ab iis tanquam a causa principali penderet; quod nulla patitur ratio.

At quidni id esse falsissimum Donatista reponant; seque perinde sentire dicant, Sacramenti confecti efficaciam ex fide sanctitateque Ministri, nonnisi ut causa ministeriali pendere? ut plane una eademque utrobique sit ratio. Et quidem haud satis scio, an ea Sacramenti conficiendi, & Sacramenti jam confecti distinctio, quam nobis Impugnator occentat, aliquid habeat in Donatistarum systemate fundamentum, aut locum; ac non ipsi perinde contendant, Sacramenta nonnisi a Ministris fidelibus ac iustis confici posse.

Utrumque tamen se res habeat, ex dictis hætenus illud plane conficitur, quod antea paucis inuimus: quidquid ad illa tria ex D. Augustino petita momenta Catharini oppugnatores reposuerint, ut ab illis expediant sese; Donatistas pariter reponatur, ut totam illam Sanctissimi Doctoris argumentationem, & ratiocinationem elidant.

CAPUT IX.

Idem Catharini systema rationibus Theologicis confirmatur: Domesticus adversarius resistit.

I. Ultimum præsentis controversiæ sigillum ponunt momenta rationum longe gravissima; quibus Doctorem Anglicum, alioque magno nominis Theologos usos video. Quæ enim modo ex Augustino allata sunt, non est cur de novo Lectoribus ingeram.

Primum istud est. Ecclesia Respublica quædam est, a Christo Domino instituta: quotquot in ea Sacramenta administrant, uti personæ publicæ sacra munia obeunt, Christi scilicet, & Ecclesiæ nomine, non suo. Ea ergo Sacramentis administrandis intentio necessaria est, quæ Ministris inest, ut publicæ personæ sunt, agentes juxta Christi institutionem; non ut personæ privatæ sunt, agentes contra Christi Domini voluntatem. Intentio enim conditioni personæ, quam sustinet, responde-

INTENTIONE.

dere debet. Porro intentio ritus externi serio peragendi, quæ in ipsa seria administratione, formæque ab Ecclesia præscriptæ seria prolatione continetur, publicæ personæ intentio est, eaque conformis institutioni Christi Domini: altera secretior, nulloque signo prodita, personæ privatæ intentio reputatur, estque plerumque institutioni Christi plane contraria: illa ergo, non ista requiritur, nec priori posteriori officere potest, si serio præclara administratio secretiori voluntate retractetur.

Sic Judex, ut superius observabam, pro tribunali sedens, partibus auditis, servatque publici juris formulis, voce gravi, vultu, habituque senatorio, serio sententiam pronuncians, valide pronunciat, verique reum absolvit, aut damnat; nulloque pacto necesse est, ut occultæ, secretæque voluntate damnare velit, aut absolvere: quia sententiam pronunciat uti persona publica, & nomine Principis, eam iudicii formam instituentis. Nec audiretur Judex ille, si rebus serio præclari atque prudenter, postmodum jactaret, noluisse se intus, & ex animo reum absolvere aut forte damnare.

Quod hic porro de Judice dico, non exemplum duntaxat est, instituto nostro accomodatam, sed ipsa res est in controversiam adducta. Etenim Sacramentum penitentia judicialis actus est, Christique vice Sacerdos absolvit, uti Judex nomine Principis. Quid ergo necessarium reputabimus ut Sacerdos intus, & ex animo reum absolvat; nec satis esse putabimus, si ritum externum serio peragat, atque prudenter, in iis circumstantiis, quibus determinatur ad agendum tanquam Christi, & Ecclesiæ publicus administrat? Aut quid nefarios Sacerdotes curabimus, qui postquam omnia serio, & rite forinsecus peregerunt, præscriptisque formis absolverunt penitentes, obrudunt subinde dictantque, noluisse se ex animo, & intus absolvere?

Ab eo primo momento nostro ut expediat sese domesticus Impugnator, reponit (primo syllogismi minori propositione distincta) intentionem externi ritus serio peragendi, publicæ personæ intentionem esse, si ritus ille intendatur, ut est sacra quædam apud Christianos ceremonia; secus tamen si ritus ille intendatur, ut secundum se præclare sumptus, & prout est quædam res mere profana. At nec sic quidem nodum solvit, sed stringit potius. Quia Minister, de quo maxime disputamus, in debitis scilicet circumstantiis publice celebrans aliquod Sacramentum, postulat & requirit, ritum illum, sin minus expresse atque distincte, at saltem virtualiter & implicite, uti sacrum & Sacramentalem intendit: cum iis in circumstantiis talis re ipsa sit necessario & essentialiter: ut laudato iudicis exemplo competere est.

II. Momentum probationis alterum istud erit, quandoquidem de iudicibus mentio incidit. Quemadmodum operatio Sacramentalis in Ministro regulatur, & dirigitur intentione, ita iudicium ferendum a iudice, ipsius scientia, & cognitione dirigitur. Quod enim in iudice scientia juris facit, id in Sacramenti Ministro facit intentio. Porro ut rectum sit, iustumque iudicium, regulari, ac dirigi debet per scientiam iudicis, non utique privatam, sed publicam; seu quam habet ille, ut persona publica est, non ut persona privata: cum iudicare debeat ex notitia quam habet ut Judex, hoc est, ex allegatis, & probatis, etiam contra propriam opinionem. Itaque pari titulo administratio Sacramenti, ut rata sit, validaque, dirigi debet ac perfici ea intentione, quam Minister habet, ut persona publica est, non

ut est persona privata. Jam vero, uti sæpius jam dictum est, intentio ritus externi serio peragendi, quæ in ipsa seria administratione consistit, personæ publicæ intentio est. Ea igitur sola sufficit, ut ratum sit, ac validum Sacramentum.

III. Tertium a pari, ut ajunt, momentum istud esto. Juramentum serio, libere, atque ex formulis juris emissum, quo quis fidem suam alteri obligavit, perinde valet, & stat, jurantemque perinde adstringit, tametsi intus occulta, secretæque mente jurare nolit, animumque jurandi non habeat, imo potius eo se juramento nullatenus obligandi. Idque non alia de causa, nisi quia Dominus, qui testis est conscientia, ita accipit juramentum, sicut homo, cui juratur, intelligit; ut ait S. Isidorus Hispalensis Lib. 2. Sententiarum Cap. 31. habeturque Can. quacunque artis, Causa 22. Quest. 5. Hinc illæ prævi dogmatis propositiones ab Innocentio XI. damnatæ die 2. Martii 1679. Cum causa licitum est jurare, sine animo jurandi... Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive sponte propria, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine juret, se non scisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. Porro, inquit ego, tam jurandi voluntas atque intentio necessaria est juramento, quam sacri ritus celebrandi necessaria est Sacramento. Unde qui juramentum balbutiret nesciens, atque nolens, ut in furia, ebrietate, vel somno, juramentum fecisse minime censetur. Itaque pari titulo, ac etiam firmitate meliori, stat ratum, ac validum Sacramentum, suumque forsitur effectum, quoties ex intentione, ut loquuntur, externa, serio libereque conficitur; quanquam occulta, secreta, ac mere mentali intentione intus in animo retractetur.

Neque vero sit bonum se præbet moralis Theologiæ professorem domesticus adversarius; qui ad hujus momenti solutionem, veluti ridente Minerva respondet; Juramentum absque interna jurandi voluntate, juramentum re ipsa non esse, defectu scilicet alicujus ad illius essentiam spectantis; etiam propter divini testimonii exterius assumpti reverentiam, in foro etiam interno juramentum adstringat. Quis id æquo ferat animo? Si enim juramentum re ipsa non est, non est ergo perjurus qui violat, etiam forte aliunde peccet: cum nemo perjurus censeatur, nisi qui violat juramentum. Ut quid ergo ab Innocentio XI. damnata est propositio paulo ante notata, Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive sponte propria, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine, juret, se non scisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. Est igitur, velit nolit morum doctor atque magister, etiam tunc verum ac proprium juramentum, uti tunc verum est proprium mendacium; quamquam promittendi jurandique voluntas desit interius; modo sit illa ei, cui promissio fit, exterius declarata. Ut habet Doctor Anglicus 2. 2. quest. 89. art. 7. ad 4.

IV. Quartum a ratione momentum istud accipe, & quidem cæteris, quantum intelligo, luculentius. Quoties duæ voluntates occurrunt inter se mutuo pugnant, ea effectum obtinet, quæ vera voluntas est, non illa quæ mera velleitas reputatur: absoluta quippe voluntas velleitatem contrariam vincit, & irritat. Id in nauta periclitante comprobatur, qui licet merces suas servare vellet, si tuto quidem id posset, eas tamen in mare projicit, dum irato Neptuno jactatur, ut se

ut se a stultaggio fervet incolorem: quia voluntas absoluta vitam fervandi, velleitatem illam superat, qua fuis etiam merces velleit fervare; si possit. Jam nefarius Sacramenti Minister, qui ritum sacramentalem fervare intendit, cumque serio exercet, ac libere, omni semoto joco, ac ludio; intus tamen occulta mente ritum hunc sacramentalem esse non vult, nec suos effectus in suscipiente producere: hic, inquam, duplici voluntate jactatur; absoluta una, qua lubens ac volens ritum serio celebrat; inefficaci altera, qua ritum hunc sacramentalem esse nollit, qui tamen ex Christi institutione sacramentalis revera est: Prior ergo voluntas vincit, superatque secundam, ut nihil illa officiat Sacramento.

Certe Theologorum omnium concors sententia est, Ministrum Calvinianum E. G. qui baptizare quidem intendit, non tamen characterem imprimere, quem ex secula sua principis negat, characterem nihilofecius imprimere, perinde ac si re ipsa intendere: quia, inquit illi, voluntas characterem non imprimendi, mera velleitas est, quae ab absoluta voluntate baptizandi superatur; nec potest quis effectum prudenter nolle, ubi semel causam voluerit. Idem sane in casu nostro contingit: voluntas illa secretior, qua nefarius Sacerdos ritum sacramentalem, a se serio ministratum, sacramentalem esse nollit, mera velleitas est, quae ab altera voluntate absoluta ritum serio ministrandi superatur: nec potest quis prudenter velle, ut ritus ille sacramentalis re ipsa non sit, quem uti sacramentalem Christus instituit.

V. Ratio quinta haec est. Sacramentum sensibile signum est, a Christo Domino institutum: quicquid ergo ad essentiam illius constitutionem pertinet, sensibile debet esse: cum sensibile ex insensibili constitui nequeat. Intentio autem illa Ministri interior, secretior, & mente abdita, sensibilis profectio non est; bene tamen exterior altera, sacramentalibus verbis expressa. Ista ergo, non illa ad Sacramenti constitutionem, & perfectionem desideratur.

Si quis vero reponat, ex multorum Theologorum opinione, intentionem Ministri partem non esse Sacramentum intime constituentem; sed conditionem duntaxat, ad Sacramenti efficaciam, a Christo Domino praesentam; alia via instaurabitur argumentum. Nempe quod non Ministri, sed Christi voluntas, atque intentio illa ipsa sit, quae operatur in Sacramentis: Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus, ut ait Apostolus 1. ad Cor. cap. 3. Et sicut Petrus baptizat, sic Petrus, Christus est qui baptizat, effectumque Baptismatis operatur, ut loquitur Augustinus. Si qui ergo in Ministro desideratur intentio, uti conditio ad Sacramenti efficaciam praesentia, illa est, quae Christum exprimit baptizantem, absolventem, consecrantem, effectumque cujuslibet Sacramenti in suscipientibus operantem. Haec autem non occulta, non secreta, non mente abdita Ministri intentio est; sed externa, verbis sacramentalibus serio prudenterque prolata expressa, ac declarata.

Et vero Sacramenti Minister non nisi Christi Domini dispensator est, ac veluti procurator: juxta illud 1. ad Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei. Ad ratum autem validumque dispensatoris, & procuratoris ministerium, satis est sacra Domini voluntas, serio liberoque dispensatoris actu aut instrumento declarata; estis is occulta secretaque mente totum esse velit irritum & inane. Unde rem Domini perinde legitime vendit, ejusque dominium jure transfert, ac legibus congruenter; modo serio, libere, omnique semoto joco, cum

aliquo pacifatur & transgat; quamquam intus occulta secretaque mente repugnet, nolique ratum esse, quod agit.

VI. Postremum istud habet momentum, a morali, & congruente ratione petitur. Incredible est, Christum Dominum Sacramentorum Auctorem, illorum vim, & efficaciam iis conditionibus illigasse, quae nec a suscipientibus, nec ab ipsa etiam Ecclesia discerni, & interabici possint, nisi re ipsa sint adhibita, vel omissa. Sic etenim fidelium saluti minus prospexisse videretur. Quandoquidem fideles satis sibi cavere non possent, ne sibi in recipienda sacramentali gratia, fraus fieret a Ministris, conditiones illas secretiores, atque occultas, in fidelium perniciem sacrilege omitterentibus. Hujusmodi porro est mentalis illa, atque secretior, de qua disputamus, intentio; quae num sit a Ministris adhibita, nec ab ipsa suscipientibus Sacramentis, nec ab ipsa etiam Ecclesia discerni, ac regegi potest: cujus tamen fraudulenta omissione, atque defectu, Sacramenta ad salutem etiam maxime necessaria, uti Baptismus, & Poenitentia, effectum vacuari dicuntur. Non est itaque verisimile, Christum Dominum, qui neminem vult perire, sed salvari vult universos, Sacramentorum vim, & efficaciam ab interna, atque secreta Ministrorum intentione suspendisse. Neque enim justum est, inquit D. Joannes Chrysostomus Homilia 85. in Joannem, propter alterius malitiam, ad salutis nostrae Symbola fide accedentes offendi.

Eccur quæso Christus Dominus Sacramentorum vim, & efficaciam ex Ministrorum fide, & sanctitate minime suspendit; sed ea quoque rara voluit esse, ac valida, etsi ab impiis, & infidelibus conferantur? Nisi ut fidelium salutem, quae a rata, validaque Sacramentorum collatione maxime pendet, provideret, atque coassularet; ne scilicet patenti periculo committeretur fidelium salus, a quo illi cavere sibi non possent; quippe qui tot Ministrorum hypocritam, sanctitatem ac fidem egrègie mentientium reterege nequeunt. Quidni vero simile quidpiam, de occulta, secretaque Ministrorum intentione, cum Catharino dicamus, ab ea scilicet non fuisse suspensam a Christo Domino Sacramentorum efficaciam, atque virtutem: cum vel sic iidem sermo periculis commissa esset hominum salus, a quibus nulla meliori via cavere sibi homines possent? Ne quæso miseram hominum sortem, quorum salus ab occulta, secretaque hypocritarum fraude penderet?

Non est ita profectio (ne quis forte probationem hanc nostram in nos ipsos retorquere velit) non est ita in hypotesi externae intentionis sacri ritus serio celebrandi, ex quo Sacramentorum efficaciam pendere concedimus, etsi in Ministrorum arbitrio perinde sit, & negari ab iis, atque omitti ex aequo possit. Cum enim externa illa sit, quae a nobis desideratur Ministrorum intentio, potest & a suscipientibus Sacramenta, & ab adstantibus, & ab ipsa Ecclesia observari, regegi, deprehendi: atque ita potest, ne ex Ministri malitia desit, praecaveri; aut si defuerit, emendari ac resarci. Non est igitur in ea externae intentionis hypotesi, commissa perinde periculis hominum salus.

Frustra vero reponat aliquis, habere nos de interna illa, secretaque intentione, quod sit a Ministris adhibita, moralem (ut alibi diximus) certitudinem. Quaquam enim ita sit, non idcirco tamen vis infringitur argumenti, imo potius augetur multo magis. Quandoquidem haec ipsa, quam habemus, de interiori, secretaque intentione, moralis certitudo, seu iusta praesumptio, in causa potius est, cur ne Ministris desit, minime

caveamus; & si forte defuerit, factam nobis fraudem emendari, ac resarci non curemus.

VII. Iis omnibus momentis a ratione petitis sigillum ponet petira ab Ecclesiae auctoritate probatio longe gravissima: ex judicio nempe lato in Concilio plenario Arelateni, & Nicæno primo, ad finiendam gravissimam illam de rebaptizandis Haereticis controversiam, quae saeculo tertio vertere Ecclesiam Africanam cum Romana commiserat. Ex quo quidem tunc lato judicio, necessaria consecutione colligitur, Ecclesiam Catholicam ratum validumque pronunciasse eorum Haereticorum Baptisma, qui cum ritum omnem externum serio quidem observent, formamque Evangelicam rite debiteque pronuncient; intus tamen secretaque mente non servant, imo vitiant intimo corde atque corrumpunt. At erit hujus probationis profectio atque urgenda locus opportunior, Cap. 13. n. 4.

VIII. Quae cum ita sint omnia, illud profectio consequens est, quod tanquam totius hujusce quaestiones colophonem, a studiosa Juventute alta mente repositum velim: Ministrum scilicet impium, libere serioque, omnique semoto joco, Sacramentum publice ministrantem, illud idem nullatenus irritare, tametsi secretam, occultamque irritandi voluntatem animo gerat, ac secum ipse interna mente deliberet, non intendo facere quod facit Ecclesia.

Quid enim sibi vult, qui ita secum occulte deliberat, dum interim serio, ac libere celebrat? Quid illud est, per fidem Numinum! quod facit Ecclesia, quod ipse tamen facere non intendit? Vel enim ritus ipse externus est, in certa materia, & forma praescripta, quem Ecclesia quidem facit, ipse tamen non facere deliberat. At si sic est, deliberatio illa est factio contraria, ipsoque factio rescinditur. Quomodo enim facere non intendit, deliberatque non facere, quod re ipsa serio, & libere facit? Nihil quippe serio, libereque sit, nisi ex judicio rationis, & electione voluntatis. Non potest itaque iniqua illa deliberatio, non faciendi ritum externum, factio ipso rescissa, ac retractata destrueri Sacramentum, cum potius haec ipsa seria Sacramenti celebratione destruat.

Vel ergo illud quod facit Ecclesia, quod ipse tamen facere non intendit, est ritus ipse formaliter ut sacramentalis; quem certe uti sacramentalem Ecclesia facit, ipse tamen nolit uti sacramentalem efficere. At si sic est, non propterea irritat Sacramentum, quod aliunde serio, & libere ministratur. Primo, quia non est in ejus potestate efficere, ut ritus ille sacramentalis non sit, quem Christus uti sacramentalem instituit. Secundo, quia expressa illa intentio ritum perficiendi, formaliter ut sacramentalis est, non est ad Sacramenti valorem necessaria: ut patet in Hebraeo Baptismo nostrum valide, ut saepe definitum est, ministrante: qui certe ex quo Hebraeus est, ritum illum uti sacramentalem velle non potest, quem non esse sacramentalem firmissime tenet.

Vel demum illud quod facit Ecclesia, quod tamen ille facere non intendit, ipsemet Sacramenti effectus est; quem Ecclesia producere quidem intendit, ipse tamen non producere occultamente deliberat. At si sic est, ea stulta deliberatio multo minus irritat Sacramentum, quod serio, libereque forinsecus ministratur: tum quod in Ministro potestate non sit, posita causa, divina virtute operante, effectum causae praepedire: tum quod haec ipsa intentio producendi effectum sacramenti, ad Sacramenti valorem, & efficaciam necessaria non sit: ut patet in Pelagianis,

Lutheranis, & Calvinianis, Sacramentum Baptismi valide ministrantibus, etsi nullam producendorum illius effectuum habeant voluntatem.

Itaque quocumque res cadat, modo sacrilegus, impiusque Minister Sacramentum libere, serio, omnique semoto joco forinsecus administret, illud idem nequaquam irritat, tametsi secretam, occultamque irritandi voluntatem animo gerat, ac secum ipse interna mente stulte, impieque deliberet, Non intendo facere quod facit Ecclesia. Non quod non sit intentio faciendi necessaria; sed quia non occulta, secretaque necessaria est, sed externa duntaxat: quam ille profectio habet, qui ritum externum serio, libereque ministrat; quicquid ille in contrarium impie, & sacrilege meditatur, atque deliberet.

Jam ad objecta diluenda veniendum: quorum plena expeditaque solutio sententiam haecenus propugnatam magis magisque confirmabit, meliorique in lumine collocabit.

CAPUT X.

Satisfit Objectis in contrarium fieri solitis: ac primum quidem ex Concilio Tridentino auctoritate peritis: domestici adversarii cavilli restandantur.

I. PRIMAM in nos ex Concilio Tridentino auctoritate impressionem faciunt Theologi recentiores; quibus nihil tam in ore solet esse, quam fuisse Catharini sententiam in sacra Synodo praedamnatam, eodem cum Protestantium errore anathemate inultam, atque confirmam. Audiamus itaque disputantes.

A Concilio Tridentino, inquit illi, definitum est, requiri in Ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia: sed Ecclesia facit ritum illum externum, ut re ipsa sacramentalis est; hoc est, facit ea mente, eoque fine ut sacramentalis sit: igitur id nisi Minister intendat, irritum est Sacramentum.

Egrege vero, atque subtiliter! Perinde ac si quis diceret, a Concilio Tridentino definitum est, requiri in Ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia: sed Ecclesia facit ritum illum externum, uti peccatum originale delentem, uti characterem imprimentem: igitur nisi id omne Minister intendat facere, irritum est Sacramentum. Quasi vero? Pelagianorum ergo & Calvinianorum Baptisma irritum erit: nemo enim illarum seclorum minister est, qui ritum illum externum celebrare velit, uti peccatum originale delentem, & characterem imprimentem: quandoquidem pertinaciter utrumque illi negant.

Ad Dialecticos igitur hujusmodi disputatores amando, ut argumentationis formulas discant. Fallacia enim eo in argumento committitur, aliusque medius terminus in minori subsumitur, quam in majori positus est. Concilium quippe, ut in majori ponitur, requirit in Ministro intentionem faciendi quod facit Ecclesia, non intentionem faciendi quod ipsa facit, eo modo quo facit, eodemque fine, ut addit in minori. Legant, relegant Concilia, Decreta Pontificum, nihil hujusmodi quidquam invenient. Quare turpiter aberrat Catharini oppugnatores, qui haec duo promiscue miscent, ut illum Concilio Tridentino repugnantem ostendant. Quod Ecclesia facit, est ritus externus, in certa materia, & forma praescripta, & id certe facere intendit, quisquis ritum illum semoto joco, serio, & libere facit. Quomodo enim serio & libere faceret, nisi facere intenderet; cum liber actus esse non possit nisi a voluntate, cum intentione finis? Quod vero Ecclesia intendit per hujusmodi ritum, seu finis, pro-